

affirmat Commentarios, quos vidisse se ait *Joh. Eckius* in Epistola ad Episcopum *Eichstad.* citata *Sec. II. Conspect. Univ. Vien. p. 88. carnosissimos.* Interim hoc Codice nonnisi *Lectura* in I. ut jam diximus, continetur, et a *fol. 95.* in III. et demum a *fol. 156. p. 2.* in IV. Prior, ut pariter diximus, ἀκεφαλός nunc ab ingressu *Distinct. X.* orditur his verbis: *2º per modum remocionis dubij magis explanatur &c.* Alterius initium est: *Cum venit igitur plenitudo. Iste est tercius liber in quo Magister determinat de misterio incarnationis et passionis &c.* Ultimae: *Samaritanus vulnerato appropinquans. Postquam in precedentibus libris determinavit de rebus, scilicet in primo de rebus quibus fruentum est &c.* Si carnositas *Eckii* de mole intelligenda sit, alia viderit, quam quidem *Lecturas* praesentes, quas cum Aliorum *Commentariis* in *Petr. Lombardum* hoc *Vol.* relatis comparatas potius *Stricturas* dixeris.

DXXVII.

U. 124 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc 253. 4. currente calamo exaratus est juxta Titulum Thecae praefixum: *Lectura Primi Sententiarum M. Petri de Pulka*, sic dicti ab Oppido patrio, alio nomine *Tzach*, Academici nostri in his *Commentariis* saepe memorati. *Lectura* ipsa orditur *fol. 17.* Circa primam *Distinctionem* queritur primo. *Vtrum hoc genus actus libere voluntatis &c.*

Quae praecedunt *Εισαγωγικα* sunt, et quidem capite truncata, in quibus citatur *Gregorius Ariminens.* O. Erem. S. *Aug.* Prior generalis apud nos a. 1358. defunctus. Videntur etiam quaedam deesse in calce. Codicem ex una parte vestit interior membrana fragmentum Precum e quodam *Judaeorum* *קדושה* seu *Rituale* eleganter scripto exhibens.

DXXVIII. Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 136

Folior. 369. f. max. per duas columnas luculente exaratus, rubricis, et praevio Monachi ad librum confidentis iconismo decoratus, multum vero fitu passus, et, ut in fronte, et *fol. 11.* praefert, olim emtus, Collegioque Ducali legatus a *Sigismundo Halbemer de Stranyug* Plebano in *Schöngraben* continet *Lecturam in Librum IV. Sententiar. Petri Lombardi* antecedente proluxa *Tabula*, ad cujus calcem annus 1431. signatus est. Prooemium inquit: *In Nomine patris &c. Cum desiderarem vestris caritatibus in aliquo deseruire et id exposuissem venerabilibus patribus Domino nostro abbati et Domino priori visum est eis expedire, ut legam quartum Sententiarum &c.* Repetit mox, *ad Religiosos qui se vite monastice manciparunt*, se locuturum. Noli tamen inde ipsum quoque Monachum habere. *Nicolaus de Dunkspühl* est, Academiae *Vindob.* celebrer Theologus, quem *Nicolaus Seyringerus de Matzen* disciplinae monasticae

fficæ reformator et Abbas *Mellicensis* O. S. B. in *Austria* intra ann. 1420—24. ad tradendam in Coenobio suo Philosophiam, Theologiamque laudabiliter invitavit. Discimus hæc e *Mart. Kropffii Bibliotheca Mellic.* c. XI. a p. 166. ubi etiam *Codices Lecturam* nostram complexi memorantur. *Fol. 100. p. 2.* contra Necessitatem utriusque Speciei eucharisticæ fuscè differitur. Sed nempe multa humore corrupta evahuerunt, ut adeo præstet alter *Codex*. *Ambit* Codicem Membrana ingens Literas *Bonifacii P. M.* ad Episcopum *Patav.* ejus Vicarios, Præpositum Monasterii *S. Mariæ in Nuenberga Claustri* &c. continens, in quibus ad Altare sancti *Vdalrici* situm in Capella *Montis sanctæ Mariæ in Obrensis* constitui videtur *Andreas* quidam; multa enim præfecta pleniorém cognitionem prohibent.

DXXIX.

U. 584
—93

Codicum Series chartacea Sec. XV. f. partim *Collegio Ducali*, partim *Domui B. V. Mariæ Rubicæ Rosæ* legatorum a celebri Theologo nostro *Nicolao de Dunkelspühl* et maximam partem Eiusdem *Commentaria in Librum IV. Sententiarum, Ascetica, et Sermones* complexorum. Insunt tamen etiam quaedam ejusdem argumenti *Henrici de Hassia, Job. Gersonis, Job. de Grütz, Job. Nider, Henrici de Oyta, Rich. Armachani,* quin etiam *Caesarii Arelat. Bernhardi, Anselmi, Ri-*

chardi de S. Victore, Gregorii M. Augustini, quæ, quoniam aut typis vulgata præstant, aut a me jam pluribus *Codicibus* indicata sunt, eo magis hic per saturam lancem referre visum est, quod Exemplaria nec ab antiquitate, nec ab elegantia manus adeo se commendant.

DXXX.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 465

Folior. 287. f. per duas columnas scriptus, et rubricis enotatus complectitur *M. Pauli Wann* Commentaria scholastica in *Librum III. et IV. Sententiar. Petri Lombardi,* et initium quidem prius est: *Jam nunc hijs intelligendis Hic magister ponit probationum in tertium et quartum librorum sententiarum, in quo ostendit horum librorum materias subiectales &c.* Alterum *fol. 123. Samaritanus. Hic est quartus liber sententiarum qui ad precedentes libros continuatur sic, Nam postquam in precedentibus libris &c.* Clausula miniata est: *Finitus est quartus liber sententiarum per Magistrum Paulum Wann de Kemnat (Palatinat. super. civitate) legendo in scolis theologorum collegij Ducalis vienne anno 1454. in die sancte Elizabeth.* Memini alias Viri, qui et in Academiam nostram beneficis extitit, ut habes in *Löcheri Speculo* p. 310. et inter *Canonicos Passavienses* deinceps adlectus urbem illam adolescentiæ meæ institutricem sacris Sermonibus excoluit, quorum Editiones in *Mait-*